



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 13. Bonuccii Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI.
A. C. 1589
rius, & Cameræ thesaurarius renuntia-
tus, aliaque munia obiens tandem Car-
dinalium Collegio adscribatur, titu-
lum adeptus sanctorum Cosmæ, & Da-
miani: ast paulo post Presbyteris Cardi-
nalibus annumeratus titulum sancti Eu-
stachii obtinuit, quo rursus dimisso ad
illum sancti Petri in Monte aureo voca-
batur.

§. XIII.

Bonuccii Cardinalis obitus.

Arch. Gion.
in annal.
servorum.
Ciacon. p.
182.
Ant. Vist.
in add. ad
Ciac. Ughel.
Ital. sacra.
Ceterum ex Cardinalibus hoc anno de-
functis non nisi tres numerantur,
ex quibus primus erat Stephanus Bo-
nuccius Aretinus ex Ludovico Patre in
summa quidem paupertate constituto,
sed prudentia, ac honestate conspicuo
natus. Fertur, eum a Stephano Bo-
nuccio nobili Aretino, ac Servorum B.
Virginis Generali, cujus fuerat alum-
nus, professionem, nomen, & agnomen
auspicato traxisse: siquidem, cum ser-
vorum Ordinem fuisset professus, in ar-
tibus plurimum profecit: sacro igitur
Theologiæ magisterio honoratus, elo-
quentia clarus, Patavii, ac Bononiæ Re-
gentis munus obibat, ac postmodum Apo-
stolicus Ordinis sui Visitator, dein ve-
ro Procurator generalis renuntiatus est.
Postea unacum Hugone Boncompagno
Apostolico Legato in Hispaniam Ca-
ranzæ

ranzæ Archiepiscopi Toletani caussam Sæcul. XVI.
 inspecturo contendit, indeque reversus A.C. 1589.
 Cæsennæ in ordinis sui comitiis gene-
 ralis Magister, seu Rector renunciatus
 interfuit Tridentinæ Synodo, atque ab
 eodem Hugone Legato ad Pontificatum
 sub Gregorii XIII. nomine promotus, an-
 no Christi millesimo quingentesimo se-
 ptuagesimo tertio Episcopus Alatrinus
 in Æmilia, & mox Aretinus nominaba-
 tur. Demum hoc Pontifice vita functo a
 Sixto V. ejus Successore, qui hunc virum
 sibi in paucis carum habebat, Romam ac-
 cersitus sanctæ Inquisitionis Consiliarius
 primo eligitur, deinde Presbyteris Car-
 dinalibus tituli SS. Petri, & Marcellini
 adscriptus, etiam Cardinalium Congrega-
 tioni, quæ pro Concilii Tridentini exami-
 ne erat instituta, præficiēbatur, quo
 munere functus pleuritide laborans die
 secunda Januarii Anno Christi millesimo
 quingentesimo octogesimo nono, æ-
 tatis vero suæ sexagesimo octavo in or-
 dinis sui monasterio obiit, cujus Cor-
 pus in Ecclesia sancto Marcello Ponti-
 fici sacra sepultum est. Asservantur in
 Pisana Bibliotheca nonnulli hujus Car-
 dinalis commentarii in Aristotelem, &
 Magistrum sententiarum.

§. XIV.

Farnesii Cardinalis mors.

B 5

Alter